 ትዮጵያ፡ኔጌዳ፡ለኔጌ፡ብህ፡ትትገረገገ፡ሀገርህ፡ወኔገዚ  
 ፱ ኦብሔር፡ደኦር ። አንቲሰ፡ዕቀቢ፡ዘገርኹኅ፡ኅግ፡ታወ  
 ልኅደ፡ለኔገዚ፡ኦብሔር፡በኹሉ፡ልብኅ፡ወትገበረ፡ፈቃድ፡  
 ኔስግ፡ወኔቱ፡ይቀረጹ፡ለዕቡደ፡ወይሀሀሎ፡ለትሑ  
 ታን፡ወይሃወት፡ወኔብርቲሆ፡ለኔዳላን፡ወደብርግ፡ለኔደ  
 ደን፡ኔስግ፡ወት፡ወኔይወት፡ኔግንቤሆ፡ወብዕል፡ወንደት፡በ  
 ፈቃድ፡ይትወሀብ፡ኔስግ፡ኹሉ፡ሎቱ፡ወኔልቦ፡ዘደኔደ፡ለ  
 ትኔዛዘ፡ወለኹኔሆ፡በሰጋይ፡ወበደድር፡በገሔር፡ወበቀላ  
 ደት፡ወኔገዚ፡ኦብሔር፡ደሀሉ፡ወኔሌኅ፡ወኔረ፡በሰላግ።

፴፪፡ለሽንተ፡ዘከግ፡ወለደት፡ወሸተወት፡ብሔሩ።

ወተፋፈወ፡ወሔረት፡ወበጽሐት፡ወከተ፡ሀገር፡ገላ፡ዘደ  
 ሳርደ፡በ፱አውራጃ፡ወበ፳ዕለታት፡ኔግዘ፡ተረፈወት፡በኔቤሆ።  
 ወአንዛ፡ግሔግግ፡ወወለደት፡ሕፃን፡ተገሰተ፡ወወሀበቶ፡ለ  
 ፫ ሐፃንት፡በብዙ፡ክብር፡ወተደላ ። ደኔቲሰ፡ኔበረት፡ኔስከ፡  
 ደትፈጸግ፡ወወሰለ፡ኔጽሐ ። ወኔግዘ፡አተወት፡ብሔሩ፡በ  
 ብዙ፡ገርግ፡ወኔብኡ፡ወኔኔኔኔ፡አግ፡ለኔገዘኔቶ፡  
 ኔለ፡ኔበረ፡ሆ፡ወከገደ፡ወገደ፡ላቲ፡ወተረሃሐ፡በኔትወታ፡  
 ኹሉ፡ኔደደ፡ወኔልቦሰቶ፡ሠኔደን፡ኔልባሰ፡ለክቡራኔሆ  
 ግ፡ወቦ፡ለዘወሀበት፡ወርቀ፡ወብረረ፡ወደክንት፡ወወላተ፡

4. ወሽንተሰ፡ A. rursus codd. ወይሃሃሎ፡ scribunt. ወደትኔሃት፡ A.  
 ወኔይወት፡] + ወሰተ፡] ሽደሆ፡ B. ወብዕል፡] ሐ" B. ዘደኔደ፡] sic scripsi  
 sequens cod. B. (ዘደኔደ), ceteri cod. ዘደኔደ፡] exhibent. ወለኹሉ፡  
 ኹኔሆ፡ B. ወበገሔር፡ B. —

XXXII. ለሽንተ፡] ለ D. ወሸተወት፡] ወበጽሐት፡] D. — ዘደሰርደ፡  
 B. ለ፱]፳ B. ሕፃን፡] ወለደ፡] C. — 2. ወኔግዘ፡] ወ B. ብሔሩ፡] ሀገ  
 ሩ፡] B. ወሽሐሽ፡] ሽ" A, C. ሠኔደን፡] B.

ወሃሉ፡ ንዋ፡ ወሀብት፡ ዘይት ረቀቀ፡ ወሰርት ሀት፡ ማንሠተ፡  
ወሰላ፡ ዘተሀዎ፡ ንወቀላ፡ ንስወ፡ አቀቀረተ፡ ለጥባብ፡ ወኔ  
ገዢ፡ አብጠር፡ አጽኑ፡ ማንሠተ፡ ወለሀቀ፡ ወኔቱ፡ ከፃኑ፡ ወሰ  
ወዋቶ፡ ስጥ፡ ቢይ፡ ከክዳ።

ላይ፡ ልክክ፡ B. —





# VER S I O.

## CAP. XIX. DE LOCO UBI HIC LIBER INVENTUS EST.

Et dixit Dematius patriarcha Constantinopolis<sup>1</sup>: Equidem inveni librum in templo Sophiae inter libros aerarii regis (in quo scriptum), omnia orbis<sup>2</sup> regna regi Romae et regi Aethiopiae esse.

## CAP. XX. DE DIVISIONE TERRAE.

A media Hierosolymae parte et ab eius septentrione usque ad meridiem orientalem portio regis Romae est, et a media Hierosolymae parte et ab eius septentrione usque ad meridiem et Indiam occidentalem portio regis Aethiopiae est.<sup>3</sup> Uterque enim eorum semen Semi filii Noae, semen Abrahami, semen Davidi, proles Salomonis est; Deus enim Semi semini gloriam

1) Commemoratione ecclesiae S. Sophiae demonstratur hoc loco vocabulum **ርዓ**: Constantinopolis vocabulo vertendum esse; revera Dematius in fine orationis suae dicit (C. fol. 82 aβ): **ዘኛተ: ረኅብኅ: ኧዳዳከፋት: ዘቤተ: ሰፋ.ፆ: ዘቆስጥንጥንፆ**.. Tres formae occurrunt pro Romae nomine, **ርዓ: ርዩ: ርዩፆ**: quarum prima respondet graeco *Ῥώμη*, alterae arabicis **روم** et **روميا**; **ርዩፆ**: igitur de urbe tantum usurpatur. Forma **ርዩ**: quemadmodum arabico **روم** gentem romanam saepe significari in libris ex arabico sermone versis inveni, e. gr. Josippon (fol. 6 a, cod. Berol. mss. orient. fol. 397) **ወረዶኧወዳድ: ርዩ: ለፆናፆፆፆ**: et adiuverunt Romani Graecos, (ibid. fol. 38 b) **ወቦኧ: ርዩ: ወቆተሉ: ስብኣ: ብዙኝ**: et venerunt Romani et interfecerunt homines multos. Praeter has tres formas in communem usum receptas in Josippi libro formae **ርዓ**: et **ርዓኒ**: etiam raro leguntur (fol. 5 b).

2) Pro orbis codd. B, D legunt in aeternum.

3) Vaticinatur Gregorius Thaumaturgus in fine fere libri de bellis regi Aethiopiae et imperatori Graecorum contra infideles gerendis, postea canit: **ኧዳ ኛቱስ: ነገሠት: ፆስጢኖስ: ንጉሠ: ርዓ: ወኅሌብ: ንጉሠ: ኣት ፆጳፆ: ፆትረኅብ: ክልኣሆዎ: ቦኣፆረኅሌዎ: ወፆወርዐ: ቆርኅ: ሊቆኝ: ጳጳሳተሆዎ: ወፆቆርቡ: ወፆናብረ: ሃፆዳፆተ: ቦ ፋቆር: ወፆትወሀቡ: ኣዳኝ: ወሰላዎ: ወፆትኅረሊ: ፆፆረ: ኧዳ ንረቆ: ለኣፆረኅሌዎ: ቦኅዎ: ነገርኝ: ወስተ: ርኣሰ: ዘኛቱ:**



dedit propter benedictionem Noae patris eorum. Rex Romae quoque filius<sup>3</sup> Salomonis est<sup>1</sup> et rex Aethiopiae filius Salomonis primogenitus maior natu est.

CAP. XXI. DE REGINA AUSTRI.

Quomodo etiam hic natus est inveni scriptum in hoc libro; sic enim evangelistae huius feminae mentionem faciunt. Dominus quoque noster Jesus<sup>2</sup> Christus dixit, redarguens populum Iudaeorum crucifixorum quae tunc erat generationem, dicens: „Regina austri surget die iudicii et litigabit cum iis et litem cum iis instituet et vincet hanc generationem quae praedicationem vocis meae non audivit, nam ipsa venit a finibus terrae ut Salomonis sapientiam audiret.“<sup>2</sup> Et quod dixit „Regina austri“ haec est regina Aethiopiae;<sup>3</sup> quod autem dictum est „Fines terrae“ hoc est propter infirmitatem feminarum naturae et propter longitudinem<sup>4</sup> viae ardente sole et propter extensio-

ⲠⲪⲏⲘⲉ: Ⲙⲉⲣⲟⲩ: i. e. „Hi autem reges Iustinus rex Romae et Kaleb rex Aethiopiae sunt, Hierosolymam ambo convenient et patriarchae eorum eucharistiam instituent et accedent (reges ad eam) et eandem fidem in amicitia habebunt et invicem salutationem et pacem sibi dabunt et inter se terram dividunt a media Hierosolymae parte quemadmodum diximus [expectaveris: dixit Dematius] in primo huius libri capite.“ Kalebum enim regem spelunca subterranea a sancto Pantaleone ex Abessinia Hierosolymam perductum esse fertur. Cf. Lefebvre, voyage en Abyssinie III. p. 433. In synaxariis aethiopicis narratur Kalebum regem post victoriam de Iudaeis reportatam monacum se fecisse et coronam tantum suam Hierosolymam misisse ut supra portam sepulchri Christi suspenderetur; Kalebum ipsum Hierosolymam profectum esse non narratur. Poeta quoque a Ludolfo (hist. Aeth. II, 4.) citatus coronam tantum a Kalebo Hierosolymam missam esse refert. Cf. Sapeto, viaggio e missione catolica fra i Mensa etc. Appendice seconda.

1) Ab Adramio (Ⲡⲉⲣⲟⲩⲛⲟⲩ) enim quodam Salomonis filio auctor imperatores Romanos originem trahere fingit.

2) Matth. 12, 42; Lucas 11, 31.

3) Quod solus cod. D addit „haereditas autem et terra nativitatis huius reginae Axuma est nam ex hac (urbe) oriunda est“ in textum non recipiendum putavi quia omnibus aliis locis libri nostri urbs reginae Ⲙⲉⲣⲟⲩⲛⲟⲩⲛⲟⲩ: (Makedae mons) vocatur. Lobo (voyage d'Abissinie trad. par le Grand, p. 64.) haec refert: Ils monstrent encore aujourd'hui un Bourg où ils disent qu'elle [negesta Azeb] tenoit sa cour; et il paroît par les ruines qu'on y trouve que c'étoit autrefois un lieu très-considérable. J'ai été aussi plusieurs fois dans un village que les Abissins appellent terre de Saba à cause qu'ils croient qu'elle y est née. Nomina locorum Lobo non tradit, sed sine dubio Axuma accipienda maximis monumentorum reliquiis clara. Cf. quoque Ritter, Afrika I. p. 192. ed. alterae.

4) Formam Ⲙⲉⲣⲟⲩⲛⲟⲩ: quam exhibet cod. C Dillmannus uno tantum exemplo testatur (lexic. col. 273).



4 nem viae deficiente aqua. Haec autem regina austri pulcherrima erat aspectu suo et venustate sua, scientia et intelligentia quam Deus ei dedit ut Hierosolymam iret ut Salomonis sapientiam audiret, Dei enim voluntate hoc factum 5 est et illius placitum erat. Haec autem ditissima erat quod Deus ei gloriam et divitias aurum et argentum et vestimenta pretiosa et camelos et servos et mercatores <sup>1</sup> dederat, et proficiscebantur ei terra marique et in Indiam et Syenem. <sup>2</sup>

CAP. XXII. DE TAMRINO MERCATORE.

Et erat quidam prudens mercatorum praefectus cuius nomen Tamrinus et onerabat quingentos et octoginta camelos et circiter septuaginta tres naves 2 ei erant. Et Salomo rex tunc Dei domum aedificare desiderabat et ad omnes mercatores misit in orientem et in occidentem in septentrionem et in meridiem ut mercatores venirent et aurum et argentum ab se sumerent et ipse 3 quoque sumeret quod ad opus desiderabatur. Et dixerunt ei de illo mercatore Aethiopico divite et misit (ad eum) ut adveheret sibi quod desideratur ex terra Arabiae aurum fulvum et lignum cariem non contrahens nigrum et 4 saphirum. Et profectus est ille mercator cuius nomen Tamrinus mercator reginae Aethiopiae ad Salomonem regem et sumpsit (rex) ab eo omnia quae desideraverat et dedit mercatori quae desiderabat adaugens ex opibus suis. 5 Ille autem mercator admodum prudens erat et Salomonis sapientiam videbat et mirabatur et (animum) attendebat ut penitus cognosceret sermonem vocis eius et iudicii eius et facundiam oris eius et suavitatem sermonis eius et ambulatum et sessionem et surrectionem et opus et amorem et institutionem 6 et mensam et legem eius. Quibus mandabat, humilitate et lenitate (mandabat), et cum peccassent docebat eos nam sapientia et timore Dei domum suam disponebat et leniter stultis obiurgabat et leniter ancillis prosperabat, et aperiebat os suum parabolis et vox eius melle favorum dulcior erat et

1) Forma **ḫṛṣṣ**: quam exhibet A calami lapsu ex **ḫṛṣṣ**: orta est quemadmodum idem codex A in altero versu sequentis capituli exhibet; quae forma **ḫṛṣṣ**: apud Dillmannum desiderata recentioris originis est affixione terminationis **ḫ.ṣ.**; cuius usus in linguis neoaethiopicis valde frequens est (cf. Zeitschr. d. D. M. G. XXIII. p. 465.) orta; in lingua tigrina quidem occurrit haec forma **ḫṛṣṣ**: in lingua amharica decurtata est in **ḫṛṣ**: quae forma ad Oromones etiam transit.

2) Accusativi **ḫṣṣ:ḫṣṣ**: repugnant regulae a Dillmanno constitutae (gramm. p. 255.) nomina propria si accusativi terminationem accipiunt semper **ḫ**: (non **ḫ**) accipere; item legi in ipsa Dillmanni chrestomathia (p. 151 lin. ult.): **ḫṣṣḫṣṣ:ḫṣṣ:ḫṣṣḫṣṣ**: „velut columba circum Iordanum vagatus est.“ — Dillmannus (col. 1417) formam **ḫṣṣ**: tantum affert.

omne opus eius conveniens et omnis aspectus eius gratus, amatur enim sapientia ab intelligentibus et repudiatur a stultis. Quae omnia cum ille 7 mercator videret, stupebat et admirabatur valde, nam iis qui eum videbant prorsus ille iucundus et praeceptor erat; et qui ad eum venerant nolebant abire nec discedere ab eo propter sapientiam et venustatem eius; et suavitas sermonis eius velut aqua sitienti et velut panis famelico et velut medicina aegroto et velut vestis nudo et velut pater orphanis. Et iuste iudicabat 8 neque partium studio ducebatur; et gloria et divitiae ei erant quas Deus ei abundanter dedit, aurum et argentum et gemmae et vestimenta pretiosa et pecus et bestiae sine numero. In diebus autem Salomonis regis erat 9 aurum velut aes et argentum velut plumbum, aeris autem et plumbi et ferri multitudo erat velut frutex arundinis et velut stipulae campi; lignum cedri quoque multum erat quia Deus ei gloriam et divitias et sapientiam et gratiam dederat, ita ut priores non fuissent quemadmodum hic, neque posteriorum quisquam esset quemadmodum hic.

CAP. XXIII. DE REDITU MERCATORIS IN TERRAM AETHIOPIAE. 1

Et postea desiderabat Tamrinus mercator redire in terram suam et ivit ad Salomonem et veneratus est eum et salutavit eum et dixit: „Salus magni- 2 tudini tuae! dimitte me ut in terram meam proficiscar ad dominam meam, nam moratus sum aspectu gloriae et sapientiae tuae multarumque cupe- diarum quibus mihi gratificaris; nunc autem proficiscar ad dominam meam; equidem desiderarem tecum remanere quemadmodum servorum tuorum ali- quis vilissimorum; beati certe qui vocem tuam audiunt et mandatum tuum faciunt, nam desiderarem hic remanere neque abste separari! sed profecto dimitte me ad dominam meam propter ea quae mihi commissa sunt ut ei opes suas tradam, ipse quoque ei servus sum.“ Et Salomo domum suam 3 intravit et dedit ei omnes res pretiosas 2 desiderabiles terrae Aethiopiae, et dimisit eum in pace; et veneratus est et exiit et viam suam profectus est et advenit ad dominam suam et tradidit ei omnes opes quas advexit. Et dixit 4 ei quemadmodum Hierosolymam Iudaeae urbem pervenerat ad Salomonem regem, omniaque quae audierat et viderat ei dixit, quemadmodum ius agebat, et quemadmodum munde loquebatur et quemadmodum rectum mandabat omni in re quam perscrutatus erat, respondebat pro clementia sua neque iracundia

1) Adverbium **כִּן**: ad numerum **כ"ג** videtur referendum esse, ut germanice ad verbum interpretandum sit: Dreiundzwanzigstes Kapitel, in welchem der Kaufmann nach dem Lande Aethiopien zurückkehrt. Idem in sequentis capituli inscriptione et saepius occurrit.

2) Sensum enim concretum hoc loco voci **קִנְיָן**: inesse puto; cf. XXV, 1. et XXXI, 2.



ei erat, et quemadmodum quoque constituerat sexcenos exactores operariorum qui lignum et qui onera portabant et octingentos lapicidas et quemadmodum ex omnibus mercatoribus et venditoribus requirebat in gratiam artificii sapientiae et operis, et quemadmodum sumebat et dupliciter dabat et omne artificium et opus eius in gratiam sapientiae. Et quotidie ei dicebat omnem Salomonis sapientiam quemadmodum ius agebat et quemadmodum rectum exercebat et quemadmodum mensam instituebat et quemadmodum epulas fecit et quemadmodum sapientiam docebat et quemadmodum servis suis mandabat et omnia cum prudentia disposita et dicto eius ambulabant neque quisquam alterum fraudabat neque quisquam opes alterius iniuria violabat neque latro neque fur in diebus eius erat nam cum sapientia sciebat si erraverant et puniebat eos et timorem iis incutebat et pravum non iterabant sed pacifice cum timore regis manebant. Quae omnia narrabat ei et quotidie omnium quae apud regem viderat reminiscebatur eique dicebat; et delectabatur iis quae a mercatore servo suo audierat et in animo suo cogitabat ad eum proficisci et pro multitudine amoris eius flebat si (mercator) ei narrabat et admodum desiderabat ad eum proficisci et in animo cogitabat proficisci et in longum protrahere et difficile (id) putabat. Et iterum ex eo exquirebat et iterum (hic) ei narrabat; (tum) desiderabat et libenter volebat proficisci ut sapientiam eius audiret et faciem eius videret et eum salutaret et regno eius se inclinaret; et mens eius ut ad eum proficisceretur parata erat et Deus quoque mentem eius paratam ad iter reddidit<sup>1</sup> et desiderio eam affectit.

CAP. XXIV. DE PRAEPARATIONE AD ITER.

Et postea incepit domum suam disponere et servis suis mandare et ancillas suas admonere et opes suas adornare, et quaerebat quae et ad iter opus erant et ad salutationem regis et ad donum magistratibus suis et ad praemium ancillis suis. Et congregavit camelas<sup>2</sup> et mulos et equos et asinos et naves et rates et peras<sup>3</sup> et saccos frumentarios et saccos viatorios et

1) Vides igitur verbum አጥብቦ: in una eademque sententia sensu et transitivo et intransitivo usurpatum.

2) Huius vocis singularis adhuc nondum reperta occurrit infra paragr. 12: ረኅብብ:; alia quaedam huius vocabuli forma ረኅብት: occurrit XXXI, 2. Uno tantum praeterea loco haec vox et formam quidem አርኅብት: et ህርኅብት: exhibens occurrit, 1 Sam. 30, 17. Nunc quidem in Abessinia per vocem ረኅብብ: equus provinciae Hamasen intelligitur, quemadmodum (ጸሐዓሴን: ረረሰ: ) explicatur in vocabulario aethiopico a Dillmanno lecto. Originem huius vocis in lingua arabica quaerendam esse manifeste patet.

3) Vocabuli ያፋን: singularem ያፋን: vel ያፋንት: sonare verisimile est, quae vox adhuc nondum lecta sine dubio idem significat quod ያፋንት:.

vasa aquaria<sup>1</sup> et lecticas<sup>2</sup> et se ad iter praeparavit et mandavit omnibus magistratibus suis qui ei subiecti erant ut intra sex menses praeparati essent ad iter et sumerent saccos viatorios<sup>3</sup> et disponerent domos suas, remota enim erat terra in quam profecturi erant. Et dixit iis: „Audite vocem<sup>3</sup> meam (vos) mei et auscultate sermoni meo! equidem cupio sapientiam et cor quoque meum quaerit scientiam, nam percussa sum amore sapientiae et tracta funibus scientiae; sapientia enim melior est quam coacervatio auri et argenti, sapientia certe melior est quam omnia quae creata sunt in mundo. Cum quo-<sup>4</sup> nam comparaverint sapientiam sub coelo? melle dulcior est et laetificat prae vino et illuminat prae sole et amatur prae gemma pretiosa et pinguefacit prae oleo et satiat prae offa dulci et honoratum reddit prae myriadibus auri et argenti. Laetificans menti et illuminans oculis et velocitas<sup>4</sup> pedi et lorica<sup>5</sup> pectori et galea capiti et torques<sup>5</sup> collo et cingulum lumbis et nuncia auri- bus et institutrix cordibus et doctrina gnaris et consolatrix prudentibus et gloriam donans quaerentibus. Regnum non consistit sine sapientia neque<sup>6</sup> divitiae conservantur sine sapientia neque pes ubi insistit firmus est sine sapientia neque quod lingua loquitur amatur sine sapientia. Sapientia certe<sup>7</sup> omnibus aerariis melior est; qui aurum et argentum coacervavit nihil proficit sine sapientia, qui autem sapientiam coacervavit nemo eam ex animo eius rapit, et quod stulti coacervaverunt comedunt sapientes et propter iniquorum malitiam laudantur iusti et propter stultorum errores diliguntur sapientes. Sapientia vero angusta et dives est et ego amo eam ut matrem et ipsa<sup>8</sup> complectitur me ut infantem suam; ego sequar sapientiae vestigium et ipsa custodiet me in aeternum, ego quaeram sapientiam et ipsa erit mihi in perpetuum, sequar eius vestigium neque repudiabor ab ea, fulciam me ea eritque mihi murus adamanteus, in praesidium eius refugiam eritque mihi potentia fortis, gaudebo ea eritque mihi gratia multa. Decet enim nos<sup>9</sup> sequi sapientiae vestigium et imprimi calcem nostram in limine portarum sapientiae; quaeramus eam et inveniemus eam, diligamus eam neve receda-

1) Vox  $\text{𐌶𐌹𐌰𐌸𐌸}$ : vel  $\text{𐌶𐌹𐌰𐌸}$ : (nominativ:  $\text{𐌶𐌹𐌰𐌸𐌺}$ : vel  $\text{𐌶𐌹𐌰𐌸}$ :) pluralis vocis  $\text{𐌶𐌹𐌰𐌸}$ : habenda est; sine dubio hoc loco huius vocis significatio est „vas in quo potio ponitur“ apud Dillmannum desiderata.

2) Hoc loco vox  $\text{𐌶𐌹𐌰𐌸}$ : pluralis vocis  $\text{𐌶𐌹𐌰𐌸}$ : seu  $\text{𐌶𐌹𐌰}$ : non vocis  $\text{𐌶𐌹𐌰𐌸}$ : habenda.

3) Cod. B: instrumenta musica.

4) Hoc ex loco manifeste patet, Dillmannum haud recte suspicatum esse voci  $\text{𐌶𐌹𐌰𐌸}$ : curvi significationem tribuendam esse.

5) B vocem gratia exhibet.



- mus ab ea<sup>1</sup>, persequamur eam et inuenimus eam, expetamus eam etprehendemus eam, vertamus mentem nostram ad eam ne eam obliviscamur in omne tempus nam si eius reminiscuntur ipsa in memoriam (se) revocat, apud stultos autem sapientia in memoriam non revocatur nam non honorant
- 10 eam neque (haec) eos diligit. Honor vero sapientiae est honorare sapientem et amor sapientiae est amare sapientem. Ama sapientem neve recedas ab eo et aspectu eius sapiens eris, audi aperturam oris eius ut fias quemadmodum ille, aspice vestigium pedum eius ut colloces (pedes tuos) ubi ille institit neve discedas ab eo ut sumas reliquias sapientiae eius! Equidem auditu etiam amavi eum priusquam eum vidi, omnis enim sermo rumoris eius apud me menti meae gratus erat quemadmodum aqua sitiendi.“
- 11 Responderunt et dixerunt ei magistratus eius et servi eius et ancillae eius et consiliarii eius: „O domina nostra, sapientia certe tibi non deest et sapientiam tuam est quod sapientiam diligis, nos quidem si proficisceris proficiscemur tecum et si manebis manebimus tecum et mors nostra sit cum
- 12 morte tua et vita nostra cum vita tua.“ Et postea se praeparavit ad iter multa cum magnificentia et maiestate cum magno comitatu et praeparatione, cor enim eius voluntate Dei desiderabat Hierosolymam proficisci ut Salomonis sapientiam audiret, nam audierat et cupivit et desideravit proficisci; et oneratae erant<sup>2</sup> sexcentae nonaginta septem camelae, muli autem et asini sine numero onerati erant; et profecta est et direxit viam suam corde eius Deo confidente.

CAP. XXV. QUEMADMODUM AD SALOMONEM REGEM ADVENTIT.

Et pervenit Hierosolymam et misit munera ad regem, multas res pretiosas desiderabiles ei; hic quoque honoravit eam et gavisus<sup>3</sup> est et dedit ei

2 sedes in palatio regni quod vicinum ei erat. Et<sup>4</sup> mittebat ei coenam et

1) B: neve recedat a nobis.

2) Significatio onerari verbi **†XU:** adhuc nondum lecta est.

3) B: gavisus.

4) Tota haec sectio difficultatibus maximis abundat, praesertim cum multorum vocabulorum significatio omnino non constet. Vox quidem **ΦΖ:** apud Dillmannum desiderata alia forma mihi videtur esse pro **ΦΖ.η:**, **ΦΖ.η:**, **ΦΖ:** quae vox **corum**, mensuram quandam significat. — Iam sequitur vox **ηΛΦ:** cui assandi significationem tribuendam censeo; adhuc quidem iocandi tantum nec non ludibrio habendi radici **ηΛΦ:** in lexico Dillmanni tribuitur. Sine dubio assandi et urendi notio huic radici primitiva est, altera ab ea derivata ita ut explicanda sit aliquem (vel potius animum alicuius) urere, i. e. ludibrio aliquem habere qua ex significatione ludendi et iocandi notio attenuata est. In arabica





dia,<sup>1</sup> mandatum quoque eius cum maiestate et sermonem<sup>2</sup> eius qui cum  
 4 pace et cum timore Dei. Et haec omnia videbat et mirabatur multitudinem  
 sapientiae eius, neque quicquam de sermone eius aut de oratione eius imper-  
 5 fectum sed perfectum erat omne quod loquebatur. Et laborabat in constru-  
 ctionem domus Dei et surgebat et ambulabat dextra et sinistra in fronte  
 et a tergo et demonstrabat iis mensuras et stateram et serras; et artificibus  
 quoque fabris dicebat mensuras<sup>3</sup> et instrumenta caedendis lapidibus et...<sup>4</sup>;  
 et lapidariis quoque demonstrabat angulos et rotam et malleos et omnia  
 fiebant dicto eius neque quisquam erat qui dictum eius transgrederetur.  
 6 Nam velut lucerna in tenebris (erat) lumen mentis eius et velut arena mul-  
 titudo sapientiae eius neque quicquam occultum<sup>5</sup> ei erat de sermone bestia-  
 7 rum et avium et daemones quoque sapientiâ subegit. Et omnia arte agebat  
 quam Deus ei dederat cum ad eum precaretur, neque enim victoriam supra  
 hostes suos neque gloriam aut divitias sed sapientiam et scientiam precatus  
 erat ut daret sibi quomodo populum suum regeret et domum eius aedificaret  
 et exornaret Dei creaturam omni sapientia et scientia quam sibi dedisset.

CAP. XXVI. DE COLLOQUIO REGIS CUM REGINA.

Et dixit Makeda regina Salomoni regi: „Beatus tu, mi Domine, quod  
 ita tibi data est sapientia et scientia; equidem desiderarem esse velut vilis-  
 simarum ancillarum tuarum quaedam ut pedes tuos lavem et sapientiam  
 tuam audiam et scientiam tuam cognoscam et regno tuo me inclinem et  
 2 sapientia tua gaudeam. Quantopere placuit mihi oratio tua et suavitas sermonis  
 tui et pulchra ambulatio tua et iucunda loquela tua et facundia suavitatis  
 sermonis tui quae mentem laetificat et ossa pinguefacit et corda cingit et  
 3 labra exornat grataque reddit et vestigia confirmat! Et video te, sapien-  
 tiam tuam esse sine mensura et prudentiam tuam sine deminutione velut  
 lucerna in tenebris et velut malum punicum in horto et velut margarita in  
 mari et velut stella matutina inter stellas et velut lumen lunae in nebula  
 4 et velut aurora matutina et ortus solis in coelo. Equidem gratias ago ei  
 qui me perduxit et fecit ut te viderem et qui limina portarum tuarum cal-

1) Forma **ሠአሠአኛ**: , facundia, lexicis addenda.

2) Accusativus **አጥሠአቶ**: dependet a **ሰጦሀት**:.

3) Cod. B **ጦሳፋለ**: exhibet, quod haud scio an non lapsu calami ortum sit, fortasse singularis **ጦስፋለ**: vel **ጦስፋለት**: eiusdem ac **ሰፋለ.P**: significationis est.

4) Quo modo vocabulum **ጦጊንጾት**: , **ጦጊንጾት**: vertam omnino non scio, vocis enim **ጦጊንጾ**: , pharetra, significatio prorsus non quadrat.

5) **ተስፀረ**: III 1 adhuc nondum lectum est, omnibus aliis locis forma III 2 occurrit.

care me fecit et audire me fecit vocem tuam.“ Respondit Salomo rex et 5  
dixit ei: „Sapientia certe et prudentia ex te germinaverunt, mihi autem  
ideo quod Deus Israelis mihi dedit ad quem precatus sum et a quo petivi;  
tu autem non cognoscens Deum Israelis hanc sapientiam germinare fecisti  
ex corde tuo ut me videres humilem servum Dei mei et protectorem taber-  
naculi eius, qui consisto et famulor et incedo pro domina nostra, arca legis  
Dei Israelis, Zione sancta coelesti. Equidem servus sum Deo meo neque 6  
liber factus sum neque factus sum famulans voluntate mea sed voluntate  
eius; neque hic sermo ex me sed hic quod loqui me fecit loquor, hic quod  
mihi mandavit facio, hic quod secundavit mihi ambulo, hic quod docuit me  
loquor, hic quod intelligere me fecit intelligo; nam cum pulvis essem car-  
nem me fecit et cum aqua essem hominem concretum me fecit et cum gutta  
parva essem, saliva quae in terram spuitur<sup>1</sup> et supra terram siccatur, ad  
formam suam me formavit et ad similitudinem suam me fecit.“

CAP. XXVII. DE OPERARIO.

Et cum hoc reginae diceret, vidit operarium quendam portantem lapi-  
dem supra caput suum et utrem aquae supra collum suum et viaticum suum  
et calceos suos in lumbis suis, ligna quoque manibus suis immiserat et  
vetusta scissaque vestimenta eius erant et sudor stillabat ex facie eius et  
aqua utris quoque manabat in calcem eius et ante eum pertransivit. Et 2  
cum iret dixit ei: „Sta!“ et stetit; et vertit se ad reginam et dixit ei:  
„Aspice hunc, quae est praestantia mea prae hoc et quae est excellentia<sup>2</sup>  
mea prae hoc et quae gloria mea prae hoc? Nam ego quoque homo  
et cinis sum qui cras vermis et foetor ero, nunc vero appareo velut  
immortalis in aeternum. Quis Deum reprehendisset<sup>3</sup> si huic dedisset<sup>3</sup>  
esse quemadmodum ego, me autem si ad laborem coegisset quemadmodum  
hunc? Nonne uterque nostrum pulmo<sup>4</sup> (hoc significat homo)? Quemadmo-

1) Passivum verbi **ተፋሰ**: adhuc nondum lectum est.

2) Vox **ዲዩስኛ**: lexicis addenda.

3) Haereo paulum in interpretatione vocis **አዎአግዛዝ**, videtur mihi  
componendam esse eam cum **ግዕዝ**, irasci, reprehendere non cum **ግዕዝ**:  
migrare, proficisci; forma autem IV, 1. illius verbi adhuc nondum reperta eiusdem  
ac I, 1. significationis esse videtur. Cf. XXVIII, 6.

4) Lectio **ሰንዑኛ**: ita inepta est ut ipsos Aethiopes offenderit, bibliopola  
igitur quidam hanc vocem vocabulo **ሰብኛ**: interpretari conatus est, fortasse  
partem pro toto intelligens fortasse similitudine literarum commotus. Mihi quidem  
videtur, auctorem ipsum **ሰብኛ**: scripsisse deinde autem iniquo quodam casu  
vocem **ሰንዑኛ**: in libros manuscriptos irrepsisse.



dum mors eius mors mea et quemadmodum vita eius vita mea, et hic fortior in labore est quam ego, fortitudinem enim miseris dat quemadmodum ipse vult.“ Et dixit ei „Vade ad opus tuum.“

CAP. XXVIII. QUEMADMODUM REGINAE MANDAVIT.

Et iterum reginae dixit: „Quae utilitas nostra qui homines sumus est, nisi poenitentiam et misericordiam exercemus! supra terram nonne nos omnes inutiles, gramen campi<sup>1</sup> quod tempore suo exarescit et quod ignis cremat? supra terram certe praediti sumus cupediis dulcibus et vestimentis pretiosis dum viventes (et) validi (sumus), et praediti sumus odoribus et unguentis dum viventes mortui (sumus) flagitio et peccatis, dum sapientes stulti facti sumus inobedientia et perversitatibus, dum honorati viles facti sumus hariolando et adoratione idolorum. Homo autem qui honoratus creatus est ad similitudinem Dei, si bonum agit erit quemadmodum Deus; homo autem nequam, et si peccatum agit erit quemadmodum diabolus, diabolus autem insolens (est), qui aspernatus est mandatum creatoris sui et omnes insolentes ex hominibus ambulabunt in via eius (et) iudicabuntur cum eo Deus autem humiles amat et eos qui humilitatem agunt et ambulant in via sua, et gaudebunt in regno eius; beatus autem qui novit sapientiam, haec est poenitentia et timor Dei!“ Quae cum regina audisset dixit: „Quantopere placuit mihi vox tua et quomodo delectavit me sermo tuus et apertura oris tui! dic mihi ergo quemnam me adorare deceat; nos quidem solem adoramus quemadmodum patres nostri nos docuerunt, dicimus enim Hic sol rex deorum est; alii autem qui infra nos sunt pars eorum lapides adorant et pars arbores adorant et pars simulacra adorant et pars idola aurea et argentea adorant, nos autem solem adoramus, hic enim nutrimentum coquit et rursus hic tenebras illuminat et timorem removet; dicimus ei Rex noster et dicimus ei Creator noster et adoramus eum velut deum nostrum, nemo enim dixit nobis alium deum praeter hunc. Sed audivimus, vobis Israeli alium deum esse quem nos non cognoscimus, et nunciaverunt nobis, eum vobis arcam ex coelo demisisse et dedisse vobis tabulas legis per Mosem prophetam suum; hoc audivimus. Et ipse descendit et colloquitur vobiscum et demonstrat vobis iudicium suum et mandatum suum.“ Respondit rex et dixit ei: „Recte et iure adorant Deum qui omnia fecit, coelum et terram, mare et continentem, solem et lunam, stellas et splendores, arbores et lapides, pecora et aves, bestias et crocodilos, pisces et cete, hippopotamos et laceratas aquaticas, fulgura et fragores, nubes et tonitru, pulchra et foeda; eum solum nos adorare decet in timore et in tremore, in laetitia et in gaudio.

1) vel „gramen campi inutile.“

Hic enim dominus omnium est, creator angelorum et hominum, et hic in-6  
terficit et vivere facit, hic punit et clementem se praebet (hic est) qui pau-  
perem e terra elevat et miserum ex pulvere exaltat, tristem reddit et laeti-  
ficat, ascendere et descendere facit; nemo est qui eum reprehendat nam  
dominus est omni, neque quisquam est qui ei dicat Quid hoc fecisti? Et  
ei convenit glorificatio et gratiae ab angelis et hominibus. Quod autem 7  
dixisti Dedit vobis arcam legis, profecto data nobis est arca Dei Israelis  
quae ante totam creationem creata est consilio magnificentiae eius, et man-  
datum suum nobis scriptum demisit ut ius eius et iudicium eius sciamus quod  
instituit in monte sanctuarii sui.“ Et dixit regina: „Abhinc certe non solem 8  
adorabo sed creatorem solis adorabo Deum Israelis; haec arca Dei Israelis  
sit mihi domina mea, mihi et semini meo post me et omni regno meo qui  
infra me sunt. Et propter hoc ego inveni gratiam ante te et ante Deum  
Israelis creatorem meum qui ad te me perduxit et audire me fecit vocem  
tuam et demonstravit mihi faciem tuam et intelligere me fecit mandatum  
tuum.“ Et reversa est in domum suam et semper ibat et redibat et audie-9  
bat sapientiam eius et in corde suo (eam) reservabat. Et hic quoque ibat  
ad eam et dicebat ei omnia de quibus eum interrogaverat, et haec quoque  
ibat ad eum et interrogabat eum et (hic) indicabat ei omnia quae desidera-  
bat. Et postquam sex menses mansit desiderabat redire in terram suam et  
misit ad eum dicens: „Equidem desiderarem tecum manere, nunc autem  
propter totum populum desidero in terram meam redire; et hoc quod audivi,  
faciat Deus ut fructum ferat in corde meo et in corde omnium qui mecum  
audiverunt. Neque enim auris impletur audiendo neque oculus satiatur  
spectando sapientiam tuam.“

Neque haec tantum venit sed multi venerunt ex urbibus et terris ex 10  
propinquo et ex remoto neque enim quisquam in his diebus inveniebatur  
sapientia quemadmodum ille; neque homines tantum ad eum venerunt sed  
insuper bestiae quoque et aves venerunt ad eum et audiebant vocem eius et  
mirabantur sapientiam eius et colloquebantur cum eo et redibant in terram  
suam, et quisquis mirabatur sapientiam eius et mirabatur eo quod audierat  
et spectaverat.

#### CAP. XXIX. DE 318 PATRIBUS.

Et cum ad eum misisset ut in terram suam proficisceretur, meditabatur  
in animo suo et dixit: „Tam venusta femina venit ad me a finibus terrae;  
quid scio num Deus semen mihi ex ea daturus sit“ quemadmodum dictum  
est in libro regum.<sup>1</sup> Salomo autem feminarum diligens erat et uxores duxit 2  
ex Hebraeis et Aegyptiis et Cananaeis et Idumaeis et Moabitis et ex regione

1) Revera autem nihil de hac re in sacro codice occurrit.



maritima<sup>1</sup> et Kuirgui et Damasco et Syria<sup>2</sup> et ex iis quarum venustatem pulchram esse ei dicebant, et erant quadringentae reginae et septingentae pelliceae, et hoc non fornicatione fecit sed meditatione sapientiae quam Deus ei dederat reminiscens id quod Abrahamo dixerat „Multiplicabo semen tuum velut stellas coeli et velut arenam maris.“<sup>3</sup> Et dixit in mente sua „Quid scio, num Deus mihi filios masculos daturus sit singulum singulae ex his“ et propterea sapientem se gerens ita fecit dicens „Filii mei haereditate accipiunt<sup>3</sup> urbes hostis et eradicant eos qui idola adorant.“ Illi autem, pristina gens, erant ad normam carnis, neque enim gratia spiritus iis data erat, qui autem post Christum sunt, datum iis est ut cum singula uxore sint ad normam coniugii et praeceperunt iis apostoli dicentes: „Qui sumunt carnem eius et sanguinem eius [scil. Christi], omnes hi fratres sunt, mater eorum ecclesia et pater eorum Deus et clamant dum accipiunt carnem Christi dicentes Pater noster qui in coelis.“ Salomoni autem de feminis non praeceptum erat neque peccatum ei erat in ducendo uxores, fidelibus autem lex et praeceptum datum est ne uxorem ducerent neve feminas multiplicarent, quemadmodum Paulus dixit;<sup>4</sup> qui autem multas uxores ducunt sibi ipsis poenam quaesiverunt. Qui autem unam uxorem ducit non est (ei) peccatum sed ius sororis [sc. sororem ducendi] recusavimus quod ad partum attinet,<sup>5</sup> dixerunt apostoli in synodo. Et nos praecepimus cum iis, accurate scimus quae locuti sunt apostoli qui ante nos (fuerunt), nos 318 rectificavimus et reformavimus fidem dum dominus noster Iesus Christus nobiscum est, et hic praecepit nobis quemadmodum docemus et instituimus fidem.

<sup>4</sup> Ille autem Salomo rex misit ad reginam dicens: „Postquam huc venisti quid proficisceris priusquam vidisti consuetudinem regni et quemadmodum coena electis regni nostri instituitur tamquam iustis et quemadmodum vulgus reicitur tamquam peccatores, ex hoc quoque sapientiam accipies. Veni igitur post me et in nitore meo sedebis in tentoriis et satisfaciam tibi et cognoscas consuetudinem regni, diligis enim sapientiam et tecum manebit usque ad suprema tua et in aeternum quoque.“ Vaticinium enim apparebat in lingua <sup>5</sup>(eius). Et rursus haec quoque misit dicens: „Cum stulta ego essem sapiens facta sum sequendo sapientiam tuam et cum a Deo Israelis repudiata essem electa sum propter fidem meam quae in corde meo est; abhinc certe alium

1) Sic verti, vocabulum 44: idem esse ac arab. **بف**, putans.

2) Respondet quidem forma **יִרְצֵהוּ**: adverbio *συρισί*.

3) Gen. 22, 17. — 4) Docet enim Paulus (1 Cor. 7.) optimum quidem esse, matrimonia omnino non contrahi, sin quis uxorem ducere velit, unâ eum contentum esse debere. Ceterum B omittit verba „ne uxorem ducerent.“

5) Haud scio an non hunc locum sine dubio mutilatum recte verterim. Ceterum tota haec sectio vitii non vacare videtur.

praeter eum ut deum non colam. Quod autem dixisti, in voluntate tua esse ut sapientiam et splendorem mihi augeas, veniam quemadmodum desiderasti.“ Et propter hoc Salomo gravisus est et electos suos vestivit et duplum supra<sup>6</sup> mensam suam addidit et mandavit ut pararent omnem domus suae institutionem et omnia quemadmodum die quo exornatur domus Salomonis regis; et postea disposuit eam admodum cum splendore et laetitia et pace, cum sapientia et pietate cum omni humilitate et lenitate. Et postea instituta est<sup>7</sup> mensa regis quemadmodum consuetudo regni, et regina quoque intravit per portam aversam cum nitore et splendore et consedit in regione eius post eum, ubi videbat et animadvertibat<sup>1</sup> et cognoscebat omnia; et mirabatur valde id quod videbat et audiebat et celebrabat in corde suo Deum Israelis et mirabatur splendorem domus regni quem videbat, nam ipsa videbat ipsam autem nemo videbat eo quod cum sapientia ei sedem fecerat et exornaverat purpuram sternens et strata<sup>2</sup> expandens et cubicula<sup>3</sup> cum marmoribus et gemmis faciens et unguenta aspergens et stactas et cassiam expandens et illinens galbana et thura. Et cum hoc habitaculum intrarent, admodum<sup>8</sup> pulcher erat odor eius et antequam offas comederunt satiabat (eos) suavitas odoris eius; et misit reginae cibos sitim stimulantes cum consilio et sapientia et potiones acidas et pisces<sup>4</sup> et piper compactum.<sup>5</sup> Et hoc fecit et reginae dedit ut ex eo ederet.

CAP. XXX. QUOMODO REX REGINAE IURAVIT.

Et cum mensa regis ter et septies absoluta esset venerunt praefecti et pueri et consiliarii et servi; surrexit rex et venit ad reginam et dixit ei cum soli essent: „Blanditias amoris hinc accipe usque mane.“ Et dixit ei regina: 2 „Iura mihi per Deum tuum, Deum Israelis, te mihi vim non illaturum esse,

1) Verbum ተተኛዐር: vocabulo „animadvertibat“ reddendum putavi, quae significatio apud Dillmannum desideratur, est nimirum passivum personale verbi አዎረ: I, 2 significationis „monstrare, significare,“ significat igitur passivum germanice „bekannt gemacht werden mit einer Sache, i. e. animadvertere rem.“ Eadem huius verbi significatio occurrit Num. 21, 8 et 9: አንብር: ንብ: ይተኛዐረ: „Pone eum (draconem) ubi (homines eum) animadvertunt.“ Dillmannus in lexico hunc locum sub significatione „signum dare“ affert, quae significatio non quadrare videtur.

2) Vocabulum ብህፍ: in lexicis aethiopicis quidem adhuc desideratum, occurrit in lexicis amharicis et Ludolfi et Isenbergi, est arabicum بسات.

3) B. fenestram.

4) Vox ከዐክ: in lexicis desiderata est arabicum سبك.

5) Valde dubito, vocem ጠቢቃተ: a me recte redditam esse.



si enim ad consuetudinem hominum pellecta fuerim descendam puella in  
3 labore et dolorem et miseriam in itinere.“ Respondit et dixit ei: „Iurabo  
tibi me tibi vim non illaturum esse, sed tu quoque iura mihi te nulli rei in  
domo mea vim illaturam esse.“ Et regina risit et dixit: „Cum sapiens sis,  
quid velut stultus loqueris? Num furabor aut expoliabo domum regis, quae  
rex mihi non dedit? Ne tibi videatur, mi domine, me propter opum amo-  
rem huc venisse, meum quoque regnum tuis divitiis abundat neque quidquam  
4 causa veni!“ Et dixit ei: „Si tu iurare me facis iura mihi, et iusiurandum  
utrique decet sibi invicem iniuriam non illaturos esse; et si tu me iurare  
non facis neque ego te iurare faciam.“ Et dixit (regina) ei: „Iura mihi te  
5 illaturam esse.“ Et iuravit ei et eam iurare fecit; et ascendebat rex super  
cubiculum suum in una parte, et reginae quoque praeparaverunt cubiculum  
in altera parte; et dixit puero servienti: „Lava pelves et pone amphoram  
aquae ita ut regina (eam) videat et claude portas et dormi!“ Et hoc ei  
dixit alia lingua quam regina non cognoscebat, et ille sic fecit et dormivit.  
6 Sed rex iam non dormivit et se ipsum velut dormientem disponebat et spe-  
culabatur; domus autem Salomonis regis noctu etiam splendebat quemadmo-  
dum die, cum sapientia enim margaritas fecerat splendentes ut sol et luna  
7 et stellae in lacunari domus suae. Regina autem paullum dormivit et cum  
expergisceretur os eius siti siccum erat, sapientiâ enim suâ erat quod ei res  
sitim stimulantes dederat, admodum autem sitiebat et os eius siccum erat  
et palpavit os eius neque rorem invenit, et cogitabat bibere aquam quam  
videbat et speculata est et spectabat ad regem Salomonem et videbatur ei  
8 dormire firmum somnum. Hic autem non dormivit sed exspectabat donec illa  
surgeret ut aquam furaretur siti suae. Et surrexit, pede suo nullum strepi-  
tum efficiens et ivit ad hanc aquam pelvis et sumsit (eam) ut aquam biberet;  
et illeprehendit manum eius priusquam aquam biberet et dixit ei: „Quid  
9 transgressa es mihi iusiurandum quod iurasti, te non vim illaturam esse  
cuiquam in domo mea?“ Respondit cum timore et dixit: „Estne trans-  
gressio iurisiurandi in potatione aquae?“ Et dixit ei rex: „Num vides  
quod aquâ melior sit sub coelo?“ Et dixit: „Peccavi in me ipsam et tu  
es liber a iureiurando sed sine me bibere aquam siti meae.“ Et dixit ei:  
„Sumne fortasse liber a iureiurando tuo quod iurare me fecisti?“ Et dixit  
ei regina: „Esto liber a iureiurando, sed profecto sine me aquam bibere!“  
Et sivit eam bibere; et postquam aquam bibit fecit voluntatem suam et una  
10 dormierunt. Et postquam obdormivit apparuit Salomoni regi sol splendens  
et descendit ex coelo et illuminabat valde supra Israel. Et postea immo-  
ratus subito ablatus est et volavit usque ad terram Aethiopiae et hic quoque  
valde illuminavit in aeternum nam libenter hic mansit. Et (rex) exspectavit  
11 num in Israel rediturus esset sed non redivit. Et cum rursus exspectaret,

splendor ortus est et sol ex coelo descendit in terram Iudae et illuminavit eam magis quam antea. Israel autem solem male tractaverunt propter flammam eius et in splendore eius non ambulaverunt; et sol quoque Israelem aspernatus est et hic quoque inviderunt ei neque pax fieri potuit inter eos et inter solem. Et manus suas sustulerunt contra eum cum baculis et cultris et extinguere solem desiderabant, et omnem orbem cum terrae motu et nebula obscuraverunt et videbatur iis (solem) rursus non oriturum esse, et splendorem eius corruperunt et irruerunt in eum et sepulcrum eius custodierunt ubi in eum irruerant. Et exivit ubi non suspicati erant et illuminavit totum mundum imprimis autem in primo mari et in extremo mari Aethiopiae et Romae, Israelem autem valde aspernatus est et ascendit supra thronum suum pristinum.“<sup>1</sup>

CAP. XXXI. QUEMADMODUM REGINAE SIGNUM DEDIT.

Et cum Salomo rex dormiens hanc visionem vidisset, horrui anima eius et ablata est mens eius velut fulgur et trepidus experrectus est, et iterum miratus est de regina nam vigor eius firmus erat et venustas eius pulchra et casta in virginitate sua, et sex annos in terra sua regnaverat et cum talis esset nitor et splendor eius (tamen) castam servaverat carnem suam. Et dixit ei: „Dimitte me ut proficiscar in terram meam;“ et intravit (rex) in<sup>2</sup> domicilium suum et dedit ei omnes res pretiosas desiderabiles et divitias et pulchra vestimenta quae oculos auferunt et omnes res pretiosas desiderabiles terrae Aethiopiae et camelas et circiter sex milia<sup>2</sup> curruum qui onerati erant opibus splendidis desiderabilibus et currus quibus<sup>3</sup> vehebantur in arena et

1) Hoc Salomonis somnium ita explicandum est: prior sol quae ex coelo descendit et Israelem illuminavit et subito in Aethiopiam volavit est arca legis Dei a Deo coelitus demissa, Hierosolymis asservata et deinde a Menileco Salomonis filio raptata et in Abessiniam deportata ubi in Axumae ecclesia usque in saecula saeculorum asservabitur. Alter autem sol est Christus quem Iudaei persecuti sunt et necaverunt cuiusque sepulcrum custodierunt, qui autem post resurrectionem suam Romam et Aethiopiam sibi elegit et fide christiana illuminavit.

2) Vox ሲሕ: mille (cf. Dillm. lex. c. 393) in omnibus fere linguis neoabessiniciis (non solum neoethiopicis) frequentatissima est; occurrit in lingua Agavorum, Falaschorum, Tigrensiarum aliarum gentium, praesertim in lingua amharica hoc vocabulum (፹ሀ: vel ሲ:) usitatum est; origo quidem huius vocis in linguis hamiticis quaerenda videtur, cf. copt. ψΟ, ψΕ, bega shêb (b finalis ad radicem non pertinet). In monumentis gees lingua conscriptis hoc vocabulum omnino fere non occurrit.

3) Vox ኧሊ: accusativus accipienda est.



currum qui supra mare ibat et currum qui in auris festinabat quem pro  
3 sapientia sua fecerat quam Deus ei dederat. Et gavisa est et exiit ut proficisceretur et valedixit (rex) ei multa cum maiestate et seorsim eam abduxit ubi soli erant et anulum a digito minimo traxit et dedit eum reginae et dixit ei: „Accipe eum ne me obliviscaris et si semen ex te accepero, hic ei signum sit, et si masculus erit veniat ad me, et pax Dei sit tecum, et cum tecum dormirem multam visionem in somnio vidi, solem, cum in Israele ortus esset, auferri et volare et illuminare terram Aethiopiae; fortasse civi-  
4 tas tua per te benedicta erit, et Deus scit. Tu autem conserva quae tibi dixi ut Deum colas toto corde tuo et voluntatem eius facias, hic enim insolentes punit et erga humiles clementem se praebet et fortium sedes destruit et pauperes honorificat, nam mors et vita ab eo et divitiae et paupertas voluntate eius dantur, omnia enim ei sunt, neque quisquam resistere potest mandato eius aut iudicio eius nec in coelo nec in terra nec in mari nec in abyssis, et Deus sit tecum et proficiscere cum pace.“

CAP. XXXII. QUEMADMODUM PEPERIT ET IN TERRAM SUAM REVERSA EST.

Et invicem sibi valedixerunt et profecta est et advenit ad urbem Bâlâ Sadisârjâ (?) novem mensibus et quinque diebus postquam ab eo dimissa est. Et dolores eam occupaverunt et peperit infantem masculum et dedit eum  
2 nutrici multo cum splendore et apparatu. Ipsa autem mansit usque finitum erat tempus purificationis suae; et postea in terram suam rediit multa cum maiestate; et magistratus eius qui hic erant afferebant munera dominae suae et adoraverunt et inclinaverunt se ei et omnes regiones delectabantur adventu eius; et induit nobilibus ex illis vestimenta pulchra et quibusdam dedit aurum et argentum et hyacinthum et purpuram et omnes opes desiderabiles dedit et ordinabat regnum suum, neque quisquam vocem eius transgressus est, amavit enim sapientiam. Et Deus regnum eius fortificavit; et ille infans adolevit et appellavit nomen eius Baina-Hekem.

## VITA.

---

Georgius Fridericus Franciscus Praetorius natus sum Berolini d. XXII. m. Dec. anni h. s. XLVII. patre Georgio, mercatore, matre Mathilda e gente Schoenermark. In Guilelmi Hermanni schola literarum elementis imbutus, gymnasium Berolinense Leucopheum per sex annos et dimidium frequentavi. Anni LXV. tempore auctum-  
nali in numerum civium academiae Berolinensis receptus in studia literarum orient-  
talium incubui scholasque Roedigeri Weberi Dietericii Petermanni frequentavi. Tempore anni LXVII. paschali me Lipsiam contuli, ubi per anni spatium a Flei-  
schero et Krehlio doctrinam accepi. Berolinum redux per duo semestria Wetzsteinii  
et Tobleri scholis interfui. Quibus viris doctissimis nec non viro illustrissimo Lar-  
sow quo duce gymnasii civis literarum orientis primos haustus bibi gratias quam  
maximas habeo, semperque habebo.

---



## SENTENTIAE CONTROVERSAE.

---

1. Vero prorsus contrarium est quod nuper docuit *Ben-fey* (Geschichte der Sprachwissenschaft S. 728): dass die Grundlage des Tigre, Amharischen und Harari der hamitische Zweig ist; dass dieser erst durch die Herrschaft eingewanderter Semiten speciell semitische Elemente erhielt. Immo fundamenta sunt semitica sed propinquitate populorum hamiticorum admixtiones quasdam hamiticas acceperunt.

2. Omnium linguarum aethiopico-hamiticarum numerandi methodus antiquissima erat quinaria.

3. In pronomine suffixo possessivo primae personae linguae Oromonum (Gallasprache), *ko* vel *kiya*, pl. *keña* literae *k* vis personalis non inest quemadmodum adhuc omnes voluerunt (cf. Tutschek, grammar of the Galla lang. § 225; Massaja, lectiones grammaticales p. 240; Lottner in Transactions of the philol. soc. 1859 p. 49) sed est stirps universalis demonstrativa; respondent igitur hae formae copticis ΠΑ, ΠΕΝ.

4. Linguarum Semiticarum et Hamiticarum cognationem artiore statu.

5. Linguarum Semiticarum grammaticis id nunc maximi momenti esse debet ut originem, significationem antiquissimam, formam, formandi rationem radicum trilateralium indagent.

---





SEVENTH CONFERENCE

1900

1901

1902

1903

1904

1905

1906

1907

1908

1909

1910



D Dg 572

ULB Halle

001 131 206

3/1





